

*nem accidens reale dici Solis imaginem posse. Actu enim existit; non aliter atque cœlum, ignis, terra, actu sunt: atque hœc ipsò à futuris, diei crastini, aut alterius, distinguuntur. Tertiò autem modò, de quo hic imprimis lis est, negamus, Ens aliquod reale Parelum esse. Hœc enim sensu reale illud dicitur, quod non egreditur è subjecto, neque extra subjectum suum persistit. Hujusmodi Ens reale calor est, qui ex igne nunquam egreditur, sed ubique calor, ibi etiam ignis existit. Ita verò minime se res cum Parelum habet, qui in subjecto suo non manet, sed longè latèque diffunditur, atque aërem, aliaque lucida corpora permeat. Accidens igitur non reale, sed intentionale Parelum est.*

§. 10. *Finis denique Parelum est vel Generatis, gloria DEI: propter laudem enim nominis divini omnia fiunt; omnia à DEO; omnia ad DEUM: vel Specialis, isque varius (1) Pluvia Prædictio. Cùm enim subjecti locò nubes requirantur densiores, fieri plerumque solet, ut crassiores istæ nubes in pluvias postmodum resolvantur. Hinc in Lusitania quondam cùm tres conspecti Soles fuissent, paucis diebus transactis, cùm magna præcessisset siccitas, per integrum ferè mensem assiduos fuisse imbres, multi observârunt. Imprimis autem pluvias annunciare, si à parte Austri, ubi præsertim nubes ingravescent, constiterint, autor est Seneca, Lib. 1. N. Q. c. 3. & Aristoteles, qui ab eâ parte humoris pleniores ac fœcundiores nubes esse pronunciat. (2.) Ventorum significatio. Hi enim pluviam ceu individui assiduique comites ex frequenti aëris collisione nati ferè semper sequuntur: unde Extemporaneorum nomen apud Kircherum Mund. Subt. Lib. 4. Sect. 2. c. 1. nanciscuntur; formidinemque ideò maximam navigantibus incutiunt Parelum, dum non nisi certò orituræ tempestatis marinæ periculum ex Parelum, jamdudum experientiâ confirmati, metuendum didicerunt.*

§. 11. *Sed præter hosce duos fines proprios, nonnulli reversum Supernaturalem addunt: quo futurarum in Ecclesia Politiâque mutationum indicio Parelum esse credunt. Has enim rationes adferunt. Dicunt, Divinæ Providentiæ executionem ut plurimum mediantibus causis secundis fieri; id est, quandocumque insoliti*

*soliti*